

nec nisi aequis interpretibus componenda. Quam molesti sint aliis eiusmodi homines, vix ipsi sentiunt, optandum, ut sentiant, forte vitium corrigerent, quo aliis sunt onerosi. Qui iudicio pollent, verum a falso bonumque a malo facile discernunt, disputationes in conversatione evitant, nec a veritate agnita divelluntur. Agnoscunt rationum firmitatem & infirmitatem, perspiciunt defensorum pertinaciam, nec involucris fallacibus decipiuntur. Ne itaque nostrae disputationes contradicendi studium aliaque vitia ingenerent, quaedam praemonenda esse duxi, in exercitiis disputandi observanda.

Disputationes Scholasticae mihi videntur esse certamina ficta, quibus iuvenes seriis certaminibus praeparantur pro defensione revelatae veritatis suscipiendis. Sunt equidem quidam Politici, qui omnes de Religione disputationes ex Republica removere svadent, ne in eadem turbas excitent. Talem sententiam tenuit *Bodinus* L. IV. de Republ. p. m. 481. *Cum semel constituta, inquit, & omnium consensu probata religio fuerit, ne posthac in disputationem deducatur, cavendum est, ut omnes seditionum viae, omnes aditus intercludantur, & praesidium pacis muniatur. etc.*

Sed haec aliaque tanta non sunt, ut persvadeant, omnes de rebus divinis disputationes ex Republica esse eliminandas. Rarissime enim fieri solet, ut de rerum divinarum veritate omnes consentiant, unde necesse est, ut errantes in viam reducantur. Imo neque veritas divina sine disquisitione praevia vix acquiritur, tanta est mentis nostrae caecitas, ut veritatis analysis ipsi denegari non possit. Nec ipse Salvator, nec Apostoli prorsus a disputationibus abstinerunt. Potuissent Judaei & gentiles Salvatori & Apostolis obtendere, religionem omnium consensu pro-

pro-